



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia VWestfaliae

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1690

Altera Epistola Gregorii Papæ II. Ad Optimates Thuringorum. Qua laudat illorum in Christi fide constantiam, hortaturq[ue] ut Bonifacio Episcopo suo sint obedientes.

urn:nbn:de:gbv:3:1-367846

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ II.

Ad Carolum Ducem, Majorem Domus Regiæ Francorum.

Qua commendat Bonifacium, ut illi faveat in suscepto ministerio.

Domino Glorioso filio Carolo duci Gregorius Papa.

Comperientes te, in Christo dilectissime, religiosæ mentis affectum gerere in multis opportunitatibus, debito salutis præmissio, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide et moribus approbatum, à nobis Episcopum consecratum, atq; institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ generali sollicitudine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diversis in Orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantia obscuritatibus præpeditis, necessariò destinare. Pro quibus eum gloriosæ benevolentia tuæ omnimodo commendamus, ut eum in omnibus necessitatibus adjuvetis, et contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissime defendatis; certissime retinentes, Deo vos exhibere quacunque huic promptissimo impenderit favore, qui sanctis Apostolicis suis ad lucem gentium destinatis, à suscipientibus eos se suscipiendum prædixit: quorum institutionibus per nos informatus prædictus antistes, in sortes prædicationis procedit.

ALTERA EPISTOLA

GREGORII PAPÆ II.

Ad Optimates Thuringorum.

Qua laudat illorum in Christi fide constantiam, hortaturq; ut Bonifacio Episcopo suo sint obedientes.

Viris magnificis filiis Asulfo, Goddavo, Uvillerco, Gunthario, Alvoldo, et omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Christianis,
Gregorius Papa.

Insinuatam nobis magnificæ in Christo fidei vestræ constantiam agnoscentes, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare; nimia exultatione repleti gratias debitas persolvimus Deo nostro et redemptori, bonorum omnium largitori, cujus gratiâ comitante vos ad meliora et potiora optamus proficere, et ad confirmandum fidei vestræ propositum sanctæ sedi Apostolicæ religiosæ mentibus adherere, et, pro ut opus poposcerit sacræ religionis, à memoratâ sanctâ sede apostolicâ spirituali omnium fidelium matre solatium querere, sicut decet filios coheredes regni à regali parente. Ministerio quoque præsentis fratris carissimi Bonifacii, quem ad vos episcopum consecratum in sorte prædicationis destinavimus, apostolicis institutionibus informatum, ad instruendam fidem vestram, in omnibus volumus et hortamur obedientes ei consentire ad complementum in Domino vestræ salvationis,

ALIA